

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

207

205

211

201

216

196

256

156

306

106

Ende

Anfang

196

venerabatur. Hic status ab initio, quo Aegyptus incepit esse regnum, inchoatus fuit ante incarnationem Domini anno 2426, tempore Saruth filii Cham, et primus rex fuit Zores. Ab eo autem tempore regnum hoc crebris tumultibus mutatum fuit et multis plagis afflictum, semper tamen in cultu idolorum remansit. Tandem autem Cambyses, rex Persarum, venit et cunctos ejus vastavit fines et omnia templa depositi et religionem in Persas transtulit. Post decursum temporum iterum nova templa veteribus diis suis erexerunt, plura et majora prioribus. Unde in Cairo Serapi templum fecerunt grande, et idolum ejus sub specie bovis coluerunt. Et in Alexandria eidem mirabile valde et magnum erexerunt fanum, de quo habetur in Ecclesiastica historia Libr. II. C. 23. In hoc templo erat simulachrum Serapis sub specie hominis, et erat simulachrum ita vastum, ut dextera unam parietem, alteram laeva perstringeret, quod monstrum ex omnibus generibus metallorum et lignorum erat compositum et mirabili arte soli oppositum, ut nihil supra dicitur. Fama autem et opinio erat omnium gentilium, quod quando humana manus hoc simulachrum attingeret, terra illico desisteret et solveretur, et in chaos coelum repente rueret in praeceps. Et ita nemo audebat hoc simulachrum tangere. Hic status duravit usque ad Apostolorum praedicationem, qui omnibus mundi diis virtute crucis violentiam intulerunt. Unde quidam Sophronius, antiquus doctor, singulare opusculum composuit de subversione Serapis, ut Hieronymus de viris illustribus refert, et de ejus subversione vide in Ecclesiastica historia L. II. C. 23.

Secundus status fuit status Christianorum, qui magnis laboribus Aegyptum a cultu idolorum averterunt, et ad Christi fidem converterunt. In quantum autem profecit Aegyptus in isto statu, quod in nulla regione mundi tot religiosi, tot monachi, tot docti, et tam multae ecclesiae Christi reperiebantur sicut in ea, ut supra patuit. Et ipse status mansit a tempore S. Marci usque ad tempora Machometi, diaboli filii.

Tertius status Aegypti est Sarracenorum sub cultu Machometi, in quo cultu nulla regio ei aequatur, omnes antecellit in muscheis et in scholis et in zelo ardentissimo pro illa maledicta religione. Nec est regio adeo firmiter et pertinaciter adhaerens Machometo, sicut Aegyptus, quae non solum se, sed alias regiones conservat in Machometi cultu. Unde terram sanctam non

